

terre sancte subsidio deputate, ad quos littere iste peruerent. Salutem & apostolicam benedictionem. Peticio dilectorum filiorum abbatis. Cisterciensis eiusque coabbatum & conuentuum vniuersorum, Cisterciensis ordinis, nobis exhibita continebat quod nos, in generali concilio. Lugdunensi. uolentes terre sancte que ab inimicis nominis christiani detinetur miserabiliter occupata, procurare remedia, per que posset de illorum manibus liberari, decimam omnium prouentuum ecclesiasticorum ipsius terre sancte subsidio duximus deputandam, ac postmodum intendentes ordinare seu taxare quantum persone ipsius ordinis de suis prouentibus deberent soluere, eis per uestras indulxi-
mus litteras, ut de ipsorum prouentibus nichil occasione huiusmodj decime soluere tenerentur, quoisque quantum per eos soluj deberet per nos exis-
teret ordinatum Districtius inhibentes, ne collectores ipsius decime de ipso-
rum prouentibus aliquid ab eis occasione predicta exigere attemptarent. Cum autem quantum de eorum prouentibus, fructibus, & redditibus, soluere de-
beant duxerimus ordinandum, ac uolentes ut eisdem abbatibus, & conuen-
tibus, de huiusmodi concessione nostra, uotiuus perducatur effectus, vobis & singulis uestrum per apostolica scripta mandamus, quatinus ab eisdem abbatibus, & conuentibus, aut eorum monasterijs, locis, seu ecclesijs, decimam huiusmodj, per vos, vel alium, seu alios, nullatenus exigatis Non ob-
stantibus quibuscumque litteris apostolicis, uobis aut aliquibus vestrum, sub quacumque forma, aut expressione uerborum directis hactenus, eo pre-
textu. quod continetur in eis quod ab exemptis & non exemptis, cuiuscum-
que ordinis, condicionis vel dignitatis existat, predictam decimam exigatis,
seu in posterum dirigendis, nisi huiusmodi littere dirigende nominatim de
ordine predicto, & concessione huiusmodi de uerbo ad uerbum, fecerint
mentionem Nos enim nichilominus excommunicacionis, interdicti, aut sus-
pensionis sententias, si que in personas dictorum abbatum siue in conuentus
ipso, vel alicuius eiusdem ordinis monasteria, ecclesias, domos, Grangias, seu
loca eorum, per vos. uel alium aut alios vobis mandantibus occasione huius-
modi hactenus sint prolate uel in posterum promulgarj contigerit ex nunc
irritas decernimus & inanes. Datum Lugduni. Kal. Aprilis. Pontificatus. no-
stri. anno quarto.

591.

1275 d. 5 Apr.

Lyon.

Påfv. GREGORIUS X:s Bref till Cistercienser-Ordens Abboter, Abbedissor och Convent om befri-
else från Heliga landshjälpen.

A. 1. d. 72. *)

GREGORIUS episcopus seruus seruorum dej. Dilectis filiis vniuersis ab-
batibus ac abbatissis & conuentibus ordinis Cysterciensis tam presentibus

*) Efter en af Bisk. BONAVENTURA och Capitlet i Linköping d. 27 Sept. 1292 gjord afskrift.

quam futuris in perpetuum. In uestitu deaurato ecclesie sponse christi, que uarietate circumdata. sponso suo speciosa forma pre filiis hominum. inuariabilis integritate fidej & soliditate spej, a dextris assistit. Cisterciensis ordo, diuinis mancipatus obsequiis. & inter religiones ceteras, gloriose virginis singularitate deuocionis ascriptus. ex institutione primaria. & professorum ipsius, quantum ex alto conceditur, prosecutionis instance rutilat caritate, candet castimonia. & pulchritudine conuersationis eluet. Hujus ordinis candidj nazarej. dictj videlicet professores eiusdem sub arte obseruantie distinctione viuentes. in conspectu eorundem. Regis. Regum & Regine celestis phialas odoramentorum plenas in orationum assiduitate presentant benplacitis illorum per opera pietatis inseruiunt. & sic hospitalitatem obseruant. quod sibj pauperes, pauperibus diuites, illis munifici. sibi parcj. laboribus non parcunt propriis. sed uictu in sui uultus sudore quesito. se tenuj exhibent, illis subueniunt habundanter. Hec quidem uobis fauorem omnium uenificant, hec uos fauorabiles. recto cuiuslibet pectoris pij judicio representant. Solet enjm regum & principum aliorumque Magnatum familiaribus ipsorum contemplacione deferri. Quanto itaque amplius tam peculiaribus eorumdem. summj regis & regine celestis famulis ipsorum obtentu. in suis est subueniendum necessitatibus, & oportunitatibus assistendum. Profecto immensa inter comparata disparitas. mensuram comparationis huiusmodj non admittit. Hec nos monent attencius, hec nos & fratres nostros hortantur instantius. vobis & monasteriis uestris contra jncidentium decimarum & aliarum exacti-
num instantias, oportuno remedio prouidere. Quid enjm opus est ea decimare. vel per partes exigere ad seruendum exinde domino, que ipsius sunt seruiciis totaliter deputata. Ideoque de ipsorum fratum nostrorum consilio. vos. Monasteria. ceteraque loca. & bona eiusdem ordinis, ac ipsum ordinem, ab onere cuiuslibet, repentine ac extraordinarie decime seu alterius exactionis eximus, districtius inhibentes, vobis dictisue monasteriis. locis aut bonis, decetero huiusmodj decimam & exactionem, quocumque nomine censeantur, imponj. aut imponendis in posterum. quantumcumque generaliter. sub quauis forma vel expressione verborum, a vobis exigi. vel uos super illis aliquatenus molestari. Decernentes exnunc omnem sentenciam suspensionis. interdictj seu excommunicacionis. in vos. Monasteria. Loca. vel bona predicta. propter hoc quacumque auctoritate latam. irritam & injanem. ac uiribus omnino carere. Nulli ergo &c. nostre exemptionis, inhibitionis & constitutionis &c. Datum Lugduni per manum Magistri Lanfrancj, archidiaconj pergamensis sancte Romane ecclesie, vicecancellarij. Nonis aprilis. Indictione. III:a. Incarnatione dominice, Anno. M°.CC°.LXXV°, pontificatus vero, Domini Gregorij, pape, decimj. Anno quarto.